LAUDATIO
IN FUNERE
LUDOVICI I.
HETRURIAE REGIS


HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

A MARCO ANTONIO CATTANEO

EX PROTONOTARIORUM COLLEGIO

ET S. CONGREGATIONIS CONSULTAE

PONENTIBUS



ROMAE M.DCCC. III.

TYPIS PALEARINIANIS



PIO SEPTIMO

PONTIFICI MAXIMO

MARCUS ANTONIUS CATTANEO

Cum multis, BEATISSIME PATER, ac magnificentissimis judiciis tuis auctus sum, tum hoc maxime quod inopinanti prorsus mihi LUDOVICI I. Hetruriae Regis

laudationem lucubrandam, et habendam demandasti. Fuit tibi cum optimo illo, ac praestantissimo Rege summa animi conjunctio. Nec enim virtus, ac bonitas tantum illius, quae tamen ipsa in animis copulandis plurimum valet, tibi hominem conciliabat, sed et ea necessitudo, quae cum amplissimo, tuique observantissimo illius Parente interfuerat, Filium quoque carissimum efficiebat. Quod si quos vivos diligimus, eorum demortuorum memoriam colere maxime optamus, et laboramus, quantum tuae in me voluntatis testimonium dedisti, cujus operam in luctuosis amicissimi Regis laudibus celebrandis delegisti? Verum quum mihi id muneris transmittendum judicasti, haerendum, ac deliberandum fuit mihi, quanam ratione illi satisfacerem. Si enim diligentius ea fuissem persequutus oratione

mea, quae ad Regiae Memoriae commendationem maxime pertinerent, ne vulnus ex ejus desiderio vehementer inflictum nimis refricarem, summopere metuebam. Sin autem, ut id caverem, parcius, ac temperantius in laudibus ejus exornandis versatus essem, injurius Nomini, ac dignitati LUDOVICI extitissem. Sed illud post aliquam animi fluctuationem demum occurrit, ita me dicere oportere, ut ne muneri justi laudatoris deesse viderer, ita breviter dicere, ut adeo delicatum doloris fastidium tristi meditatione me gravius exacerbare nemo existimare posset. Quod si assequar, laetabor profecto me voluntati tuae morem gerere non voluisse tantum, verum etiam valuisse. Sin minus id praestitero, quaeso ne voluntati potius, quam mediocritati meae, ac rei ipsius magnitudini id tribua-

tur. Qualecumque autem, et quantumcumque sit istud, in quod nisus valde sum, ut aliquid esset, Nomini, Majestatique tuae inscriptum, BEATISSIME PATER, ut aequo, benignoque animo excipias, etiam atque etiam imploro, et exposco. In quo ut nihil sit quod probatione tua dignum existimes, animum certe nunquam improbabis. Habeas igitur in hoc, et venerationis ejus, qua jussibus tuis obtemperare consuevi, testimonium, et ejus, qua tuis in me promeritis quoquo modo respondeam, observantiae monumentum sempiternum. Quod a te dum postulo, supplex id quoque postulo, ut mihi genibus tuis reverenter obvoluto Apostolicam tuam Benedictionem benigne velis impertiri.



Luig. Agricola inv. e dis. — Gio. Batta Leonetti inc.

ORATIO

Acerbissimum funus, BEATISSIME PATER, quo LUDOVICUS I. Hetruriae Rex, cui hodierno die justa persolvimus, tricesimum primum aetatis, alterum vero regni sui annum vix agens sublatus est; amantissimae ejusdem Conjugis MARIAE ALOYSIAE Reginae viduitas, ac moeror; Augustorum defuncti Regis Infantium pupillares lacrymae, ac ferme vagitus; Augustissimae, praestantissimaeque Borboniae Gentis universae luctus; pientissimae, clarissimaeque Hetruscae Nationis amisso Rege, vel potius parente suavissimo desiderium, talia profecto, tam misera, tam funesta per se sunt, ut lugubre magis, et attonitum quoddam silentium, quam oratoris vocem, et consolationem desiderare videantur. Sed cum hujus loci auctoritas, Sanctitatis Tuae majestas, sacratissimi, quem adeo frequentem adesse video, consessus dignitas tanta sit; cum ejus quam

profitemur divinae fidei, ac doctrinae ea sit vis, atque efficacitas, ut in funere maximorum, et innocentissimorum hominum spem potius de nova ipsorum beatitate fovendam, quam nostro desiderio indulgendum admoneat, non solum mihi de regiis laudibus dicendum, verum etiam ita dicendum putavi, ut oratione mea sustinerem potius, quam inflecterem constantiam omnium, et lacrymas abstergerem potius, quam excitarem. Quod enim LUDOVICUS nos reliquerit, gravissimum profecto omnibus, sed id tamen accidit, quod lege communi, ac necessaria aliquando fieri oportuisset; in quo sane qui se impatientius efferat, nae ille mihi stultissimus videatur, qui constituto naturae ordini quodammodo irasci, et ipsi praepotenti omnium Domino audeat reluctari. Quod vero tanta in hoc Rege, ac tam singularis virtus extiterit, ut vix ea majus quidquam fingi, aut eidem par excogitari posse videatur, laetandum potius, quam dolendum arbitror, quum divinae pietati visum fuerit eum quantocyus regni mortalis exuviis, seu potius speciosa ista humanae magnitudinis veluti sarcina liberatum eo secum, quod speramus, adducere, ubi immortali, ac vero beatissimae quietis regno frueretur.

In hac vero texenda justissima laudatione minime nos ii sumus, qui ea omnia, quae LUDOVICUS tum pro

subjectis auctoritati suae provinciis, tum pro Catholicae Religionis incolumitate, atque incrementis sancte, pie, magnificeque gessit vel dicendo exornare, vel enarrare, ac enumerare tantum velimus. Tam varia enim, tam magna, tam multiplicia fuerunt, ut vix videantur ea vel a pluribus regibus uno anno, vel pluribus annis ab uno rege confici potuisse. Itaque cursim, quod fert indicta orationi brevitas, praecipua, ac maxime nobis accommodata perstringemus, ut eorum recordatione et justum Nomini, Memoriaeque ejus pietatis nostrae officium persolvatur, et spes communis de comparata per eum caelesti immortalitate confirmetur, et perenne quoddam virtutum ipsius monumentum, quod commendationi simul ipsi, et exemplo caeteris sit sempiterno, manibus veluti nostris exstruamus.

Cum institutio prima mores fingere soleat, et ad eam plerumque normam ingenia componantur, quae teneris adhuc iisdem domestica auctoritate proponitur, non est, quod miremur adeo praestanti LUDOVICUM Regem ingenio, adeo probis moribus fuisse, si et unde originem duxerit, et apud quos adolescentiam exegerit recordemur. Iis quippe usus est parentibus, qui ad pietatem, ad religionem, ad virtutes quasque tum publicas, tum privatas rebus magis, quam verbis, exemplis magis,

quam praeceptionibus puerum informarent. Quis enim Ferdinandi Borbonii Hispaniarum Infantis, et Mariae Amaliae Austriacae nomen ipsum omnibus praestare laudibus non agnoscit, quas iis dicendo impertiri possem? Ab his datum excolendae Filii pueritiae munus homini, quem antea in sacra religiosi instituti obscuritate veluti abditum, mox infularum Parmensium dignitate auctum vidimus, Adeodato Turchio. Deus bone! Cui viro! Quantum omnibus virtutis exemplis spectato! Quantum omnibus eloquentiae, doctrinae, sapientiae ferme divinae ornamentis praedito! Quo sane viro LUDOVICUM felici admodum, ac docili natura per se comparatum disciplinis omnibus, quibus puerilis aetas impertiri debet, imbuente, maturius veluti in stirpibus, et arboribus ii virtutis ex eo flores erumpebant, qui futurae magnitudinis spem, uberrimosque fructus portenderent.

Nihil est in hominum sapientia, nihil in literis, nihil in facultatibus quibusque ingenuis, quod aut ad victus elegantiam, aut ad consuetudinis amoenitatem, aut ad otii ipsius delectationem pertineat, in quo non modo qualemcumque laudem non sit assequutus, sed cum excultissimis in unoquoque genere hominibus non potuerit comparari. Quamquam haec, quae magna in caeteris videri possunt, vix quisquam in LUDOVICO suspiciat

prae illis multo gravioribus, ac praestantioribus, quae hominem non modo jucundum, sed et perutilem omnibus, ac maxime salutarem efficiebant. Quibus sane virtutibus jam in adolescente maximis capiendis, quum patrii fines angusti viderentur, non sine divino consilio ad Augustum Patruum CAROLUM IV. Regem Catholicum, Augustamque Amitam ALOYSIAM MARIAM TERESIAM Reginam in Hispanias se contulit.

Magnum illud sane, et amplissimum omnino imperium est, ita ut is Oceanus, qui terras omnes antea circumscribere putabatur, ab hoc regno utrinque conclusum duorum maximorum orbium conjunctione terminetur; atque iste sol, qui universum caeli ambitum diurna conversione complectitur, intra ejusdem regni fines et oriatur simul, et occidat. Haec LUDOVICO juventutis palaestra obtigit, hoc ejus virtus theatrum, et veluti campum, in quo se ostenderet, nacta est. In quo quidem ita se gessit, adeoque se omnibus, in primis autem Patruo suo CAROLO probavit, ut quo arctior inter eos, suaviorque ex duplici cognationis, atque affinitatis vinculo conjunctio efficeretur, suam ipsam in matrimonium Filiam, ac delicias MARIAM ALOYSIAM Catholicus Rex eidem peramanter collocarit.

Sed hoc minime aequum videbatur, ut tanta morum suavitas, tanta ingenii facilitas sub umbra veluti dome-

stici diadematis otiosa delitesceret. Quemadmodum solem, atque astra non eo descripta, ac disposita summus rerum Opifex in caelo esse voluit, ut sibi tantum ipsis colluceant, sed maxime, ut splendore quaquaversus diffuso tenebras subjectorum orbium discutiant; ita quum idem ex inexhaustis illis suis thesauris eximia quaedam, ac singularia beneficia in quemquam confert, non ipsius modo, in quem illa confert, sed etiam, ac nescio an magis eorum plurimorum rationibus videtur consulere, qui ejus unius ope ad bene, beateque vivendum perducendi sunt. Ampliora igitur, et sublimiora erant Dei Optimi Maximi de LUDOVICO consilia, quam ut diutius in alieno quamvis domestico regno versaretur, qui animum ad regnandum omnino natum a natura ipsa, dum oriretur acceperat. Itaque humanissimae, cultissimaeque Hetruscae Nationis Rex constitutus una cum Augusta Conjuge, et Filio supremum regni gubernaculum suscepturus in Italiam reversus est. Quo sane itinere magnis eumdem honoribus cum omnes prosequuti sunt, tum inclytus potissimum, et clarissimus Gallicanae Reipublicae Consul Primus, qui et advenientem suavissime excepit, et Parisiis aliquantisper commorantem nobilissimis officiis complexus est.

In regno autem suo quemadmodum versatus sit nihil dico, cum id in memoriam revocare satis sit, eam

fuisse Hetruriae tum temporis conditionem, id veterum rerum desiderium, novarum sollicitudinem, ut satisfacere utrique rei ejus tantum videretur, qui superiori quadam, ac pene divina bonitate omnium simul admirationem, et benevolentiam excitaret. Atqui novi Regis tam spectata fuit omnibus, et probata humanitas, pietas, prudentia, ut hominem in eo summo tempore non casu aliquo, aut humano consilio, sed singulari potius supremi Numinis beneficio oblatum, ac datum sibi videre visi sint. Itaque quoties locus datus est plurima, et ea publica, et ea minime ambigua testimonia dederunt ejus, qua suum Regem complectebantur, caritatis. Mitto heic solemne, quo semel, iterumque Hetrusci homines ei se obstrinxere, sacramentum; mitto supplicationes ad templa omnia, et aras, quotiescumque Augustus Rex valetudine, qua valde difficili semper, et tenui usus est, laboraret; eadem vero restituta pubblicas gratiarum actiones, ferias, spectacula, communis laetitiae signa, quae tantis praesertim hominum studiis, tanta frequentia, tanta constantia celebrata non consuetudini serviendi, sed voluntatis explendae animo tribuenda omnino sunt.

Mitto, inquam, haec omnia. In mentem veniat ejus diei, quo die LUDOVICUS, ut Barcinone solemnibus interesset sponsalibus, quae FERDINANDUM inter Virum

Asturiae Principem, et MARIAM ANTONIAM BORBONIAM FERDINANDI IV. utriusque Siciliae Regis (cujus Regis in me, gentemque meam beneficia nulla unquam delebit oblivio) filiam, nec non FRANCISCUM inter Virum utriusque Siciliae Heredem Principem, et ELISABETHAM BORBONIAM Catholici Regis Filiam celebrabantur, maritimum cursum suscepit. Qui motus, Deus immortalis, urbium, oppidorum, vicorum omnium! Quae vota! Quae lacrymae hominum! Ut mihi quidem videatur ea navis, qua LUDOVICUS una cum Augusta Conjuge vehebatur, votis communibus onusta transmisisse, eadem vero cum reverteretur, non tam impetu, ac spiritu ventorum, quam fidelibus populi desideriis acta celerius appulisse. Quod cum obtigit, tanta fuit gentis universae laetitia, tantus multitudinis concursus, tanta locorum frequentia, ac celebritas, ut non homines modo, sed Hetruria universa suis veluti convulsa sedibus in occursum reduci Augusto festinare videretur. Hei mihi! Dolorem hoc loco altius animo infigi, ac vulnus inflictum recrudescere mihi sentio. Quam brevi haec omnia conversa sunt! Quam cito gaudio luctus, moeror celebritati, hilaritati lacrymae successerunt! Quatuor vix menses fuerant illius diei solemnitatem consequuti, quum suum Hetruria LUDOVICUM desideravit. O spes illas falla-

ces! O praeposteram laetitiam! O rerum humanarum incertam semper, atque infaustam conditionem! Quanto autem moerore funus regium homines prosequutos tandem judicabimus, qui paucorum dierum desiderium aequo animo ferre non potuerint? Cujus quidem argumenta adeo luculenta, ac flexanima extiterunt, ut ex dolore, quem ex morte ipsius acceperunt, quam fuerit omnibus in vita jucundus patefactum sit.

At nemo profecto quod ita fuerit LUDOVICUM Hetruria complexa mirabitur, qui ad illas animi dotes paullisper attendat, quae tantos ipsi suorum amores conciliabant. Ac mihi quidem longe a justa rerum aestimatione aberrare videntur ii, qui sic opinantur, rei militaris peritia, et bellicis rebus gestis, Viri Principis magnitudinem praecipue, atque adeo unice contineri, ut nisi facta ejus obstrepi clamore militum, et tubarum clangore audiant, vix ullam eorum rationem ducant, quae ad pacificam regni administrationem, et populorum in otio incolumitatem tuendam pertinent. Nos vero ita teneamus, suam esse, et illam quidem non mediocrem laudem tribuendam iis, quorum nomen victoriis, et triumphis inclaruit; verum studia pacis, et humano generi longe utiliora, et, comparatione rite instituta, aeque difficilia, vel majorem, vel non multo certe inferiorem, quam belli-

cas artes sibi gloriam vindicare. Cujus quidem generis nulla dos est, nihil eorum, quae in summo, ac perfecto populorum moderatore requiruntur, quod in LUDOVICO, et quidem valde eminenti gradu non inesset. Facilitate fuit tanta, ut quem majestas Principem Virum, qualis vere erat, ignaro cuivis primo statim adspectu proderet, eumdem infimis in aditu communem putares. Humanitate vero ejus nihil fingi majus potest, cum omnium calamitates suas duceret, et ad inopiam egenae multitudinis levandam, cum fiscum in publicas necessitates reservaret, privatum aerarium exhauserit. Quid dicam de prudentia, quae regum administra, et comes quotidiana est, ut nullum sine ea vestigium tuto iisdem facere liceat? Quid de justitia recta, inquam, illa, et constanti voluntate reddendi cuique suum, et nullo hominum ipsorum facto discrimine, tantum pro cujusque in rempublicam promeritis poenas, et praemia distribuendi? Utramque porro summam in LUDOVICO fuisse tum ex iis, quae passim diceret, tum ex iis, quae semper ageret, tum ex aliorum sermone, tum ex rebus ab ipso gestis cognosci potest.

Iis, qui in summa rerum potestate a Deo constituti sunt, universa, quae ad publicam administrationem pertinent, per se tantum agere vel integrum omnino non est,

vel laboriosum maxime, et periculosum esse solet. Hinc praecipuas, et graviores tantum res per se ipsos viris principibus expedire concessum est, in caeteris subsidiariam aliorum operam adhibere, auctoritatemque delegare suam eosdem oportet; ut is demum regnare sapientissime, suosque beatissimos praestare censeatur, qui in adjutoribus, et participibus curarum supremarum deligendis consilio maxime, et ratione ducatur. Hic ergo eos amplissimos, honestissimosque viros sibi ministros adjunxit, quorum nemo muneri suo fungendo non apprime idoneus existeret; quos a me praesertim tam multos nominari profecto non est necesse, cum ipsa satis ornamentorum suorum luce cuivis manifesti sint. In legibus denique ferendis, quod maxime summae auctoritatis est, id egit perpetuo LUDOVICUS, ut neque earum multitudine suos obrueret, neque inutilitate molestiam iisdem inferret. Paucae numero, simplices, sapientes adeo visae sunt ejusdem sanctiones, ut nullam earum libidine, singulas vero necessitate permotum eumdem tulisse homines judicarint.

Quid? Caetera illa, quae vel aeque necessaria sunt sceptrum moderanti, vel certe eum valde exornant, atque commendant, quanta in LUDOVICO fuisse existimamus? Commercii studium, ac patrocinium, praesertim in

navis, et industriis adeo hominibus, militaris disciplina, aedificiorum ornatus, salubritatis, ordinis, nitoris publici cura, artium, earum praesertim, quibus a pulchritudine, et bonitate nomen, tutela. Quid horum in eo vel omnino desideres, vel mediocre, ac non eximium extitisse reperias? Testem appello inclytam, ac ornatissimam Hetruscorum principem Civitatem, quae veteres Academias restitutas, novas institutas, Lycaeorum frequentiam, qua redditam, qua comparatam, viros artibus, doctrinisque praestantes honoribus, et aerario complexos eidem illacrymans acceptos refert; testem oram, et portum frequentissimum Liburnensem, in quo ratio commercii temporum calamitatibus nonnihil turbata iterum revocata fuit, nocturnis periculis, ac tenebrarum incommodis egregia, elegantissimaque ratione subventum; testem regionem illam, quae praesidiis adversus maritimos incursus, ac propugnaculis exornata, tanti Regis munificentiam omnis generis subsidiis collatis saepius experta est; testes demum omnes Hetruscae ditionis oras, urbes, oppida, vicos, quae quum superiori incommodo, ac jactatione, quae necessaria est bellorum conditio, labefactata languescerent, respirare tandem hoc Rege visa sunt, et veterem non modo incolumitatem, verum etiam dignitatem recuperare.

Jam ad illud festinat, et in eo veluti exultat oratio, quod et loci hujus, et aurium tuarum, BEATISSIME PATER, sanctitate, et consessu tanto, et nostro munere maxime dignum videtur; illud dico, quod in LUDOVICO inerat Christianae pietatis, et Catholicae Religionis studium. Cujus profecto tanta, tam multa, tam singularia exempla tum privata, tum publica ejus vita suppeditat, ut neque angustiae hujus temporis, neque eorum celebritas non dicam oratione amplificare, sed ne numerando quidem percensere eadem patiantur. Itaque hoc ei in more positum fuisse scimus, ut Deum Optimum Maximum non modo caritate, ac studio quodam religiosissimo ipse coleret, verum et aliis colendi auctor esset. Nullam rem paullo graviorem suscipiebat, in qua non modo suis ipse precibus supremi Numinis opem non imploraret, sed illam populi quoque votis, in quibus maximam collocare fiduciam videbatur, non commendaret. Itaque cum in eo esset, ut Hispaniensem illum cursum obiret; cum morbi pueris plerumque mortiferi periculum ab Augusti Filii corpore deprecandum curaret; cum alia ejusmodi quaelibet aggrederetur, supplicationes perpetuo indicendas putavit. Tantae vero fuit religionis vir, ut cum de aliqua re foret ei deliberandum, id frequenti sermone usurparet, se velle primum, et maxime

aeternae saluti prospicere. Ad quam sane laudem incitabat ita Augustum Virum aeque Augusta Conjux, ut ipsa simul incitaretur. Itaque inter eos pia quaedam, suavissimaque pietatis, ac religionis instituta videbatur aemulatio.

Sine me hoc loco, te, inquam, te ipsum appellare, BEATISSIME PATER, cui perspecta omnium optime ista esse et poterant, et vero debebant. Quem locum missum fecit LUDOVICUS, quam sibi occasionem egregiae suae in hanc Sanctissimam Apostolicam Sedem voluntatis declarandae e manibus elabi passus est? Quae in ejus sanctionibus, quae in dictis, quae in factis, ac quam praeclara hujus rei testimonia? Qua ille comitate, quo animi obsequio Nuncios ab Apostolica tua auctoritate ad se missos, amplissimos viros, excepit, et observavit? Quid est, quod eis utatur Hetruria Pontificibus, qui antiqui moris sanctitatem prae se, ac dignitatem ferant, nisi quia Regi huic religiosissimo id maxime curae fuit, ut sacratissimum hoc munus iis potissimum deferretur, in quibus, et integritatem, et sapientiam, et veteris disciplinae imaginem maxime praefulgentem agnosceret? Mitto in sacratissima templa ornamenta ab eo magnificentissima collata; sacris Deo viris censum auctum, dignitatem conciliatam, confirma-

tam auctoritatem; mitto reverentiam in eos, qui Ecclesiam divinam peculiari quadam, et augusta ratione referrent, ipsa militum signa religioni consecrata, denique festis diebus celebritatem, ac solemnitatem non lege tantum, sed exemplo quoque constabilitam.

Hunc ille animum, quem in omni prae se vita gessit, nunquam inflexit, et in morte denique constantissime, luculentissimeque confirmavit. Veteri, quo laborabat, morbo ingravescente, et in novum atrocissimum implicitus sensit nimium ad ultimam vitae metam in dimidio dierum aeque, ac pius ille Ezechias, se pertigisse. Aderat Augusta Conjux, cujus cum summus amor in omni vita erga Virum extiterat, ita summus ex morte ad eam moeror perveniebat. Aderat Augustus Filius suavissimus, qui proximae orbitatis, quamquam ea aetate foret, aliquam tamen in communi luctu conscientiam prae se lacrymis ferre videbatur. Unus inter omnes LUDOVICUS ea constantia, ac firmitate erat, ut eum non fato cedere, sed gloriosum potius de mortalitate triumphum agere existimares. Perinde ac si omnia, quae superiori vita dederat suae in Apostolicam hanc Sedem tuam, BEATISSIME PATER, observantiae testimonia satis minime forent, Nuncium tuum Apostolicum, virum lectissimum, Thebanum Antistitem, qui et ipse extremum morientis spiri-

tum exciperet, et quem perpetuae suae cum Catholica Ecclesia conjunctionis, ac communionis testem adhiberet, accersit. Cum doloris ex morbo quaedam veluti faces eidem admoverentur, et idem, quem advocarat, ad constantiam Dominicae mortis exemplo excitaret, ego vero, inquit, facio, idque ob oculos mihi perpetuo versatur. Tum ea, quae post mortem suam fieri vellet, de Regno disponit, atque ita disponit, ut Augustum Filium prout dignitatis, ac sceptri haeredem instituebat, ita in pietate, ac religione paterna successorem exoptaret, Augustae vero Conjugi una cum publica rerum administratione enixum rei divinae studium, ac perpetuam in proposita rectissimae vitae consuetudine firmitatem in mandatis relinqueret. Quanta autem pietate salutaria illa, atque extrema Ecclesiae subsidia receperit cum multos, qui interfuere, tum virum praesertim amplissimum Archiepiscopum Florentinum testem habere possem, qui tuo quoque nomine, et auctoritate, BEATISSIME PATER, eidem ex hac vita migranti fausta omnia est adprecatus. Atque ita spe futurae beatitatis erectus, plurimis constantiae, fidei, omnis generis virtutum monumentis post se relictis LUDOVICUS I. Hetruriae Rex ex caduco, ac mortali Regno ad sempiternum, et caeleste, quod confidimus, evolavit.

Equidem sentio, BEATISSIME PATER, tantarum ac tam singularium virtutum recordatione sopitum animi nostri moerorem excitari, et oculos vel invitos ad lacrymas iterum provocari. Quamquam enim LUDOVICO non modo nihil mali, verum etiam summum, atque optatissimum bonum morte obvenerit, nobis tamen tantam humanitatem, tantam, ac tam divinam pietatem, tantum Ecclesiae praesidium, atque ornamentum in ipso aetatis flore amisisse durissimum, ac molestissimum videri debet. Verum ex hac etiam parte desiderium temperare nos oportet, quum suam nobis, suique simillimam LUDOVICUS Conjugem, ac Reginam MARIAM ALOYSIAM reliquerit, eamque supremae Hetrusci regni administrationi moriens praefecerit; cujus voluntas, constantia, et auctoritas multis jam spectata rebus, ac probata novam, et luculentissimam ex regiis tabulis, confirmationem accepit. Accedit ea quoque justissima spes, in quam de CAROLO LUDOVICO REGE ejus Filio tum paternorum vis exemplorum, tum Augustae Parentis pia, ac sapiens institutio, ut animum adducamus, perficiunt.